

numerum peccatorum in supplicatione exprimere, quia unicum affinitatis impedimentum constituunt : porro non magis multiplicatur affinitas, si peccatum, petita jam dispensatione, iteretur; quia tales dispensationes sortiuntur effectum suum, non a die missionis, sed a tempore executionis. *Elbel, n. 504. — V. Comp. n. 871.*

1053. — *R. ad 2^m Quæst.* Si RICULFUS peccasset denuo, jam fulminata dispensatione, nihilominus adhuc valida esset dispensatio, nec proinde iterari deberet. Ratio est, quia jam affinitas per dispensationem sublata foret quoad effectum matrimonium contrahendi, et proinde copula non esset amplius incestuosa. Constat ex Declaratione *S. Congr. Conc. — V. Comp. n. 871.*

1054. — *R. ad 3^m Quæst.* Valida fuit dispensatio a MARIO et ANNA obtenta, licet incestum iteraverint, tum ante, tum post fulminatam dispensationem. Etenim, si peccatum iteretur ante executionem gratiæ, incestus moraliter idem est, nec numerus copularum exprimi debet. Si vero iteretur fulminata dispensatione, jam Ecclesiæ prohibitio de medio sublata est, nec quidpiam superest quod matrimonium impediat, ut supra dictum est in responsione ad 2^m *Quæsitum* : ergo in nullo casu nova dispensatio postulanda est.

1055. — *R. ad 4^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia illa circumstantia constituit verum matrimonii impedimentum, siquidem, de jure, necessario in supplici libello exprimenda est : ergo, ad validitatem matrimonii, illa circumstantia declarari debet. Porro, cum nulla sit obligatio hanc circumstantiam occultam et probrosam manifestandi in petitione ad Datariam directa, sequitur eam apud Pœnitentiarium declarandam esse. *S. Lig. n. 1134*, dicit non esse amplius de hoc dubitandum, post Bullam *Benedicti XIV : Pastor bonus.*

CASUS VIII.

ERROR IN DISPENSATIONE.

MAGLORIUS, amplissimi loci Parochus, aliquando dispensationem ab impedimentis matrimonii pro subditis petendo, ex incuria, aut nimia festinatione, aut culpabili errore posuit in supplici libello *Petrum pro Paulo*, impedimentum *affinitatis* pro impedimento *consanguinitatis*, affinitatem *ex copula licita* pro *illicita*, gradum *tertium* pro *quarto*, aut vice versa.

Alias advertit errores similes in responso, seu in concessione gratiæ, ex parte Scribæ S. Congregationis irrepsisse, scilicet, mutata fuisse ea quæ recte ab ipso posita fuerunt; imo pluries sua propria errata a Scriba inscio emendata fuisse. Quare variis ambagibus circa dispensationis valorem in his casibus intricatur.

HINC :

QUÆR. 1^o *An valeat dispensatio, si irrepit error ex parte petentis?*

2^o *An valeat dispensatio, si ex parte concedentis gratiam, aut ejus Scribæ, error proveniat?*

QUÆR. 3^o *Quid, si Superior inscius errorem petentis correxerit?*
4^o *Quid ad varios casus?*

SOLUTIO :

1056. — *R. ad 1^m Quæst.* Non valet dispensatio si error versetur circa causam moventem, aut circa objectum ipsum dispensationis, sive ex culpa oratoris, sive alterius, sive ex mera inadvertentia advenerit. Ratio patens est, scilicet, quia superior concedit gratiam conditionate, nimirum, *si preces veritate nitantur*; atqui, in hypothesi, non sunt veritati conformes : ergo ruit dispensatio. *V. Comp. de Legibus, n. 117 et 119.*

1057. — *R. ad 2^m Quæst.* Valet dispensatio. Ratio est, quia Superior censetur gratiam concedere ad mentem petentis, seu dicere : *Fiat ut petitur*. Proinde error irrepens in rescripto, concessionis jam factæ supervenit.

R. ad 3^m Quæst. Dispensatio, in hypothesi, invalida esset. Ratio est, quia ruit dispensatio tempore quo a Superiore conceditur, propter errorem in causam moventem, aut in ipsum objectum cadentem. Atqui dispensatio a principio invalida, nequit valida fieri in rescripto concessionis; siquidem error, seu falsitas ex parte petentis non ideo cessavit, nec Superior, erroris inscius, voluit vitium petitionis emendare, etiamsi ipsemet propria manu rescribat. Ergo...

1058. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o Valet dispensatio quando Parochus, libellum conficiens, errat in persona, aut in nomine, ponendo *Petrum* pro *Paulo*, saltem *probabilius*, modo constet de corpore, seu de impedimento et de causa, quia Superior gratiam concedit pro illo qui ea indiget, non pro alio : quare error ille *accidentalis* videtur. *V. Comp. n. 875.*

1059. — 2^o Non valet dispensatio, quando Parochus errat in impedimento, et etiam in specie infima impedimenti, v. g. ponendo affinitatem ex copula *licita* pro *illicita*; quia error afficit ipsum petitionis objectum. Neque valet dispensatio, quando ponit *quartum* gradum pro *tertio*, quia tertium in quarto non continetur, proindeque gravis error circa objectum datur. Secus vero, si ponat *tertium* pro *quarto*, quia tunc Superior concedens majorem gratiam, a fortiori concedit minorem in eodem genere, seu evidenter in majori contentam.

1060. — 3^o Valet dispensatio, quoties errorem posuit in rescripto sive Superior ipse, sive ejus scriba, ut supra dictum est, in responsione ad 2^m *Quæsitum*. Non potest autem gaudere bonus Parochus, ex eo quod Scriba S. Congregationis inscius suos proprios errores correxerit, quia post concessionem correcti sunt, et proinde inutiliter. Attendat igitur Pastor in posterum, ut ipsemet ab erroribus in supplici libello conficiendo præcaveat.

CASUS IX.

MATRIMONII REVALIDATIO 1^o.

1^o MELANIA, metu gravi a parentibus ad matrimonium coacta, primum invita quidem, sed paulatim tristitiæ oblita, libentius dein cum marito pluribus annis cohabitavit. Dum autem generaliter confiteretur ad scrupulum

pulum nescio quem diluendum, rem Confessario aperuit. Hic autem dubitat an, vel quomodo illud matrimonium revalidandum sit.

2° PHILIPPUS et BLANDINA, matrimonio juxta ritum Ecclesiæ contracto, impedimentum occultum detegunt. Parochus, re cognita, ocius ad S. Pœnitentiariam recurrit, ut pro eis dispensationem obtineat; sed nescit an matrimonium sit iterum solemniter in Ecclesia celebrandum, et dubii hujus solutionem petit.

HINC :

QUÆR. 1° *An consensus ex utraque parte renovandus sit, ubi matrimonium fuit nullum defectu consensus ex parte unius e sponsis?*

2° *Quid de MELANIA dicendum?*

3° *An matrimonium in secundo casu solemniter renovandum sit?*

SOLUTIO :

1061. — *R. ad 1^m Quærs. Negative* juxta sententiam communiorem et veriolem, ut ait *S. Lig. n. 1114*; sed sufficit ut pars quæ fecte consensit, aut metum passa est, consensum suum secreto renovet. Ratio est, quia in matrimonio non requiritur essentialiter simultaneitas consensus sponzorum, sed sufficit unio moralis, nempe si consensus perseveret moraliter dum consensus alterius ponitur: matrimonium enim cum rationem contractus habeat, contractuum naturam induere debet; atqui in aliis contractibus simultaneus consensus inter contrahentes minime requiritur: ergo, neque in matrimonio. Etenim, ideo matrimonium fuit nullum, quia defuit consensus ex parte illius qui fecte consensit, vel metum passus est: ergo, cum jam præcesserit verus consensus ex parte alterius, et virtualiter perseveret per cohabitationem, satis est quod accedat consensus illius qui fecte consensit. Nec obstat quod consensus sponsi, qui liber fuit a metu vel fictione, nullus sit, irritum stante contractu; quia, licet contractus nullus fuerit, et consensus illius non habuerit effectum, fuit tamen verus consensus, et, quum perseveret moraliter, satis est ad matrimonium validum reddendum, si consensus compartis accedat.

1062. — Constat insuper ex variis locis Juris canonici, præsertim ex *C. ad id 21 de Sponsalibus*, ubi casus affertur de puella quadam, quæ cum nuptias contraxisset sine consensu suo interno, et deinde illas ideo invalidas censuisset, ac ad secundum conjugium transiisset, jussu Pontificis debuit ad priores redire nuptias, quia diu cum priore viro habitaverat, et ideo præsumebatur verum consensum præstitisse. Ergo Papa, in hoc casu, censuit consensum in viro datum, validum fuisse et moraliter perseverasse, et conjugium, accedente consensu mulieris per cohabitationem, confirmatum esse.

1063. — *Objiciunt* adversarii Decisionem quamdam *Clementis VIII* in oppositum. Sed de ea non constat, saltem ut constat de tot oraculis in jure ipso consignatis, quibus nostra doctrina luculenter confirmatur. Igitur, si *Clemens VIII* aliud reapse asseruit, dicendum est illum tanquam Docto-

rem privatum locutum esse. *S. Lig. in Hom. apost. n. 80*, tradit tanquam probabiliorem nostram doctrinam, quam in opere majori, *n. 1114*, dicit esse veriolem, et proinde moraliter certam. Relata autem adversariorum sententia, sic concludit: « Sed non video quomodo responderi possit textibus relatis Juris canonici, præsertim in *C. ad id de Sponsalibus*. » In praxi sane sequenda est sententia tutior ad cautelam, ubi consensus alterius partis facile haberi potest; si autem difficilius obtineri possit, pro valore matrimonii standum est. *Carrière*, etc.

1064. — *R. ad 2^m Quærs.* Scilicet, MELANIA non tenetur monere conjugem de infirmo suo consensu, ut suum consensum renovet, nisi forte ad cautelam, si facile id fieri possit. Imo, neque tenetur MELANIA suum proprium consensum explicite renovare ad matrimonii firmitatem, quia jam illum implicite renovavit per spontaneam cohabitationem cum marito per plures annos, ut constat ex textu Juris supra relato, *C. ad id de Sponsalibus*. Igitur jam conjugium confirmatum est, nec amplius mulier discedere posset.

1065. — *R. ad 3^m Quærs. Nego*, stante casu ut jacet, scilicet, quia agitur de impedimento occulto. Etenim forma a *Concilio Trident.* præscripta non fuit tam ad testandam matrimonii validitatem, quam ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculum removeatur ne iidem conjuges alias nuptias ineant. Finis autem ille fuit sufficienter obtentus per priorem solemnitate; præterea, cum impedimentum sit occultum, scandala et maxima incommoda ex nova solemnitate orientur. Secus vero dicendum foret, si impedimentum esset publicum, quia tunc urgeret ratio scandali tollendi, aut præcavendi. Etenim, cum publice constet de matrimonii invaliditate, publice etiam constare debet de ejus revalidatione; secus finis a *Conc. Trid.* intentus non obtineretur. *V. Comp. n. 898. — S. Lig. n. 1110-1112.*

CASUS X.

MATRIMONII REVALIDATIO 2°.

DOROTHEA, tempore sponsalium, cum fratre sponsi peccavit. Cum ante celebrandas nuptias confessa fuisset, a Confessario audivit, se impedimentum dirimens contraxisse. Nihilominus in suo proposito pergens, mala fide matrimonium inivit, in quo per quadraginta annos perseveravit, pluribus inde liberis susceptis. Tandem, periculose decumbens, et de salute æterna amittenda timens, Confessarium petiit, atque ei miserum animæ suæ statum aperuit. Sed hic dubitat quid in præsentibus angustiis sit faciendum?

HINC :

QUÆR. 1° *An Confessarius debuerit penitentem monere de impedimento, casu quo impedimentum ipsi fuisset ignotum?*

2° *Quid nunc agendum, aut mulieri suadendum?*

3° *An consensus sit ab utraque parte renovandus, ad matrimonium validum reddendum?*

SOLUTIO :

1066. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Ante omnia debuit Confessarius sedulo et prudenter interrogare pœnitentem, ut resciret an peccatum fuerit consummatum, vel contra num intercesserit onanismus, seu utrum a complice cautum fuerit ut generatio impediretur. Ratio est, quia. si res ita se habuit, nullum intervenit impedimentum, siquidem ad affinitatem contrahendam requiritur copula perfecta, seu talis ex qua generatio sequi possit.

1067. — 2° Si revera de impedimento constet, magna prudentia opus est ad illud manifestandum. Indagandum est enim an pœnitens sit in bona vel mala fide, et utrum fructus sit ex monitione sperandus. Plerumque declarandum est impedimentum quod deprehenditur ante contractum matrimonium, tum quia maxima incommoda ex matrimonio invalido secutura sunt, tum etiam quia communiter ex monitione fructus speratur, præsertim si non tam cito instet nuptiarum celebratio, ita ut suppetat tempus dispensationem obtinendi, et etiam si Confessarius ostendat media facilia hanc consequendi, vel etiam se offerat ad eandem pro pœnitente postulandam. Multo difficilior autem est monitio, si, contracto jam matrimonio, facienda foret, imo per se esset omittenda ob proximum periculum pro conjugibus peccandi formaliter in usu matrimonii. *Recole dicta supra de Bannis, cas. 5, ad 2^m Quæst. n. 888.*

1068. — *R. ad 2^m Quæst.* Confessarius ad infirmam vocatus imprimis attendere debuit an fuerit spes recuperandæ sanitatis, necne. Si nulla fuit, Sacerdos debuit excipere confessionem quo meliori modo potuit, et pœnitentem de peccatis dolentem absolvere, marito relicto in bona fide, quæ nec ipsi, nec prolibus ullo modo nocebit; si vero affulgeat spes valetudinis recuperandæ, ad Confessarium pertinebit ut quamprimum conetur dispensationem impetrare, vel ab Episcopo, vel, si res moram patiatur, a Summo Pontifice, et, ea impetrata, procedere ad matrimonii revalidationem. *Elbel, n. 348.*

1069. — *R. ad 3^m Quæst. Controvertitur. Probabilius affirm.* cum sententia communiore, quia impedimentum tollit efficaciam consensus a principio, et proinde, nisi renovetur, inefficax remanet; et præterea hæc consensus renovatio a S. Pœnitentiaria requiritur. *Negant* tamen non pauci, quia consensus, licet effectu suo caruerit, stante impedimento, fuit tamen jure naturæ validus, ergo, sublato impedimento, sufficit prior consensus, qui propter obicem tantum non valebat; nec obstat clausula S. Pœnitentiariæ, quæ haberi potest non ut vera conditio, sed ut mera instructio. A prima autem sententia non est recedendum, nisi dispensatio in radice obtineatur. *V. Comp. n. 896.*

CASUS XI.

MATRIMONII REVALIDATIO 3°.

CORNELIA, materfamilias, a decem annis turpiter egit cum SYLVARIO filiæ suæ sponso, antequam hic eam duceret. Graviter quidem suspicata

est inductum fuisse propterea matrimonii impedimentum, nunquam tamen abhinc id fateri ausa est. Tandem, conscientia acriter exstimulante, confessionem generale instituit, et rem totam aperuit. Inde vero angustiae pro Confessario. Nollet CORNELIA ut filia sua de re olim cum ipsius viro gesta quidpiam intelligeret. Si Confessarius secreto dispensationem obtineat, quomodo, uni, vel utrique conjugi erit applicanda? Virum, impedimenti auctorem, accersere vellet; sed ipse a tempore matrimonii nunquam ad confitendum accessit, et sane etiam rogatus non accedet. Insuper ille non nisi summa cum difficultate de nullitate matrimonii, et de renovando consensu admoneri posset. Tanta dubitatione pressus Confessarius, a viro Theologo postulat quid sit faciendum?

HINC :

QUÆR. 1° *An conjuges in bona fide sint reliquendi, si de invaliditate matrimonii absque maxima difficultate moneri nequeant?*

2° *An hic sit casus dispensationem in radice petendi?*

3° *Quomodo dispensatio obtenta applicanda erit?*

SOLUTIO :

1070. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm. per se loquendo.* Ratio est, quia ex una parte invaliditas matrimonii non nocet neque conjugibus neque eorum filiis, cum omnes in bona fide reperiantur. Accedit quod incommoda maxima procurandi ejusmodi matrimonii validitatem, causa sunt sufficiens ut Pastor animarum, vel Confessarius, peccata conjugum mere materialia permittat. Attamen, si facile obtineri posset dispensatio in radice, hæc a S. Sede postulanda foret, saltem si unus e sponsis absque nimia difficultate moneri valeret.

1071. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.* Tres enim conditiones requiruntur ut beneficium dispensationis in radice obtineri possit, scilicet: 1° ut conjunctio sponsorum habuerit speciem veri matrimonii, et non fuerit manifeste fornicaria; 2° ut consensus utriusque perseveret; 3° ut adsit ingens et gravissima causa. *V. Comp. n. 903.* Porro in casu præfatæ conditiones habentur: etenim adest species veri matrimonii, cum uterque sponsus sit in bona fide, et nuptiæ juxta præscriptum Ecclesiæ celebratæ sint; consensus quoque sponsorum perseveravit, cum nullam suspensionem impedimenti habeant; tandem adest causa valde gravis, cum vir minime moneri possit ut consensum renovet, vel saltem difficillime, et proinde dispensatio ordinaria non sufficeret, cum renovationem utriusque partis requiratur. Ergo, in casu, ad dispensationem in radice recurrendum est.

1072. — *R. ad 3^m Quæst.* Adhortanda CORNELIA ut sub aliquo prætextu filiam suam ducat confitendi gratia ad eundem Confessarium, qui pœnitenti, etiam impedimenti ignaræ, gratiam prius obtentam applicabit. Si nullus conjugum accerseri possit, hoc in supplici libello ad S. Pœnitentiariam declarandum foret, ut amplissimam concederet gratiam, scilicet, ut dispensaret, *partibus etiam non monitis.* Cæterum, stante tanta difficultate, putatitii conjuges in bona fide relinqui possent.

CASUS XII.

MATRIMONII REVALIDATIO 4°.

RANULFUS et TARSILIA, matrimonio clandestine, seu coram solo magistratu civili contracto, multis annis in hoc lugendo statu permanserunt. Tandem, cum exercitia spiritualia in parochia peragerentur, TARSILIA vehementi concione de iudicio divino commota, ad meliorem frugem se recepit, et nuptialem benedictionem admodum exoptavit.

RANULFUS autem, licet enixe ab uxore rogatus, recusat accedere ad Ecclesiam, in qua a viginti annis pedem non fixit. Parochus cum duobus Missionariis pergit ad hominem invisendum et rogandum, ut a proposito discedat; sed incassum: « Sinite me, inquit ille, sufficienter sum conjugatus; vivo cum uxore contentus; nihil amplius mihi optandum est. » Accepto hoc infausto responso, mœrens Parochus cum sociis recessit.

HINC :

QUER. 1° *Quid faciendum, si sponsi clandestine conjuncti nolint ad Ecclesiam accedere?*

2° *Quid, si unus consentiat ad matrimonium instaurandum, et alter nolit?*

3° *Quid de ratione agendi Parochi in proposito casu, vel quid ipsi fuisset agendum?*

SOLUTIO :

1073. — *R. ad 1^m Quæ.* Coniungendi sunt in domo sua, vel in alio loco ab ipsis electo, sed coram testibus gravibus, quorum ope convalidatio hujus matrimonii publica evadere possit, si hoc requiratur ad scandalum tollendum scilicet: si invaliditas conjunctionis prioris notoria sit.

1074. — *R. ad 2^m Quæ.* Quam maxime adhortandus erit renuens ut tandem consentiat; si autem renuere pergat, inducendus est ut aliquem loco suo procuratorem constituat ad matrimonium nomine suo contrahendum, aut saltem consensum suum exprimat per epistolam Parochi deferendam. Quod si adhuc nollet, ad dispensationem in radice recurrendum est. Sic *Cardin. Caprara. — V. Comp. n. 893.*

1075. — *R. ad 3^m Quæ.* In casu inducendus fuisset RANULFUS ad consensum hic et nunc renovandum coram præsentem Parochi, et duobus Missionariis, rei testibus. Facile illa renovatio consensus obtineri potuisset, ut patet ex ejus verbis: « Vivo cum uxore contentus. » Quare de hoc non cogitarunt neque Parochus, neque ejus socii? mens sane illis læva fuit. Quid vero, si RANULFUS consensum renovare noluisse? Adhortandus fuisset ad renovationem hanc alibi per procuratorem faciendam, vel ad dispensationem in radice recurrendum fuisset, ut supra dictum est.

CASUS XIII.

MATRIMONIUM TER CELEBRATUM.

VICTORINUS et VERONICA, inito bona fide matrimonio, susceptaque numerosa prole, summa pace gaudebant. Huc usque bene. Sed ecce FLORIMUNDUS Parochus, multis post annis, quoniam casu nescio, detegit præfatos conjuges vinculo consanguinitatis in quarto gradu ligari. Ocius se accingit ad matrimonium rite convalidandum. Obtenta debita dispensatione, assumptis secum duobus testibus, tendit ad domum conjugum, impedimentum declarat, et, obtenta consensus renovatione, matrimonii vitium sanat.

FLORIMUNDUS tam felici exitu gestiebat, cum audivit VICTORINUM, priusquam VERONICAM duceret, consortium cum ejusdem consanguinea habuisse. Obstupefactus, et mœrens ad domum VICTORINI advolat, declaratque iterum, invalidum esse matrimonium, ac opus esse nova dispensatione, et conjugii instauratione. Mirantur conjuges, excandescit paterfamilias; unde hoc, mussitat uxor? « Secretum meum mihi, exclamat Parochus; sed nihil valet vestrum matrimonium, et ideo necessario est iterandum, nisi in perpetuo concubinato vitam ducere velitis. » Obtenta igitur dispensatione, Parochus, majoris secreti causa, assumpto secum solo Vicario cum ancilla, procedit ad matrimonii convalidationem; et, re peracta: « Valete, ait VICTORINUS, et ne, quæso et obsecro, redeatis unquam; sin minus ego vos furca expellam. »

HINC :

QUER. 1° *An recte egerit Parochus instaurando prima vice matrimonium in domicilio conjugum, vel utrum id in Ecclesia coram testibus facere debuisset?*

2° *An recte egerit admonendo statim conjuges de secundo impedimento ab illis contracto?*

3° *An recte egerit instaurando matrimonium secunda vice extra forum internum, et adhibendo testes, præsertim ancillam.*

SOLUTIO :

1076. — *R. ad 1^m Quæ.* Matrimonium ut in casu minime fuit renovandum solemniter in Ecclesia, quia impedimentum, ut supponitur, erat occultum, proindeque etiam secreta matrimonii nullitas. Eadem ratione neque Parochus debuit secum testes adhibere, ut revalidationem in domicilio conjugum obtineret; nam testes ad solemnitatem adhibentur: atqui in casu nulla solemnitas fuit adhibenda; e contrario instauratione matrimonii omnino fuit occulte facienda, juxta dicta supra, *cas. 9, ad 2^m Quæ. n. 1065.* Sufficiebat igitur ut ipse Parochus solus in domum conjugum se conferret, vel ut eos accerseret, consensus utriusque renovationem obtinendi gratia. Imo neque præsentia Parochi ad hoc necessaria fuit, cum

conjuges admoniti consensum secum renovare potuerint; melius tamen est ut Parochus interveniat, quando impedimentum, absque incommodo, utriusque manifestare potest, ad tollendas ambages, aut moram quam conjuges interponere possent. *S. Lig. n. 1110-1112.*

1077. — *R. ad 2^m Quæst.* Non recte egit hac secunda vice FLORIMUNDUS Parochus, statim conjugibus impedimentum novum patefaciendo, priusquam dispensationem obtinisset; debuisset iterum agere, prout egit prima vice, seu postulare secreto dispensationem, et, ea obtenta, prudenter procedere ad matrimonium revalidandum; secus enim conjuges putatitii, interea, periculo peccandi formalitèr in usu matrimonii exponerentur. Præterea prudentia caruit FLORIMUNDUS, tam præcipitanter et tam clare novum matrimonii vitium aperiendo; potuit enim præbere causam uxori turpitudinem mariti sui graviter suspicandi, cum periculo jurgiorum et odiorum inter conjugatos.

1078. — *R. ad 3^m Quæst.* Non recte egit FLORIMUNDUS Parochus, procedendo secunda vice ad matrimonii revalidationem. Etenim dispensatio obtenta a S. Pœnit., ut est dispensatio quæ obtinetur de impedimento affinitatis ex copula illicita, fulminari tantum debet in foro interno ab ipso Confessario. Ergo graviter erravit Parochus dispensationem exsequendo in foro externo, et testes adhibendo, præsertim loquacem ancillam in re secretissima. Mulieres sane ut testes adhiberi possunt in matrimonii solemnitate tantum ubi nullum est servandum secretum, sed e contrario, testimonium publice perhibendum. In casu autem nostro, nullus testis fuisset adhibendus, et a fortiori nulla femina, et res tota in confessione peragenda erat cum uno ex conjugibus prudenter admonito de matrimonii invaliditate, et de necessitate obtinendi renovationem consensus contractus, nisi dispensatio fuerit in radice. In casu, facilius admoneretur vir, utpote criminis reus, et ad confitendum induceretur; clarius enim intelligeret quare matrimonium renovandum esset. *V. Comp. n. 880 et 884.*

CASUS DE CONJUGUM DIRECTIONE

SEU

Præsertim circa debitum matrimoniale, et ejus abusum, seu onanimum.

CASUS I.

OBLIGATIO DEBITI.

1^o URSULA, uxor, ob dolores partus et nutritionis incommoda maximo tædio affecta, statuit in posterum debitum marito non amplius concedere. Cum autem nollet a proposito suo recedere, absque absolutione a Confessario dimittitur.

2^o GERMANA, materfamilias, debitum viro præstare non vult, ex eo quod prolem numerosiorem jam habeat, et insuper bonis fortunæ destituatur: melius enim est, inquit, filios non parere, quam eos ad miseram vitam procreare.

3^o AGNES debitum viro denegat, quia novit tum ex propria experientia, tum ex medicorum declaratione, se absque probabili mortis periculo parere non posse.

4^o VICTORIA magna tristitia laborat, eo quod omnes filii quos genuit nati sunt mortui; quapropter nullos alios in posterum generare statuit, adeoque debitum marito denegare.

5^o TECLA in magna anxietate conscientie versatur, propter virum qui frequenter solet debitum conjugale persolvere modo venialiter malo, v. g. situ innaturali. Nollet peccato viri cooperari, licet leve sit; sed timet ne ipsi displiceat, eumque contristet. Quærit igitur quid facere possit, vel debeat?

HINC :

QUÆR. *Quid sentiendum in præfatis casibus?*

SOLUTIO :

1079. — *R. In primo casu* URSULA non potest a peccato, et quidem gravi, immunis esse. Recte igitur absque absolutione a Confessario dimissa est. Uxor excusari nequit a debito reddendo ob ordinaria partus vel nutritionis incommoda, neque ob dolores moderatos, aut etiam graves sed non diuturnos, v. g. capitis per plures menses post partum, neque ob valetudinem aliquo modo debilitatam, quia hæc omnia conditioni matrimoniali sunt annexa; et uxor, vi contractus, corpus suum ad finem generationis tradendo, censetur se obligasse ad omnia incommoda generationem concomitantia, vel subsequentia.